

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1201

Auteur(s) : Herbert de Charmont, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Pierre de Boissey, Bayeux (archidiacre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1248, novembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le doyen Herbert de Charmont et le chapitre disposent d'un manoir, paroisse Saint-Sauveur de Bayeux, qu'ils ont reçu en aumône de Jean Hamon, chevalier. Pierre de Boissey, archidiacre, le possèdera à titre viager ; après sa mort, 7 livres tournois seront annuellement payées à son obit par le tenancier. Si, pendant sa vie, l'archidiacre le résigne aux mains du chapitre, celui-ci fera célébrer, à son intention et tant qu'il vivra, une messe annuelle du Saint-Esprit à laquelle seront affectées les 7 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCXIII, t. 2, p. 138-140.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsentis litteræ pervenerint, Herbertus, decanus, et capitulum Baiocense, salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra quod, cum vir nobilis Johannes Hamonis, miles, pro salute animæ suæ et pro salute animarum patris et matris ejusdem, dedisset et concessisset Deo et nobis, in puram et perpetuam elemosinam, manerium suum, cum omnibus pertinentiis suis et appendiciis, situm apud Baiocas, in parrochia Sancti Salvatoris, inter domos præbendæ de Bretevilla, ex una parte, et domum Petri de Cremona, ex altera, nos, pro garantizatione et defensione dicti manerii ab ipso milite et hæredibus ejus contra omnes facienda, dedimus eidem Johanni ducentas et viginti libras Turonenses in pecunia numerata. In qua summa pecuniæ vir venerabilis Petrus de Bossiaco, ecclesiæ nostræ canonicus et archidiaconus, apposuit de bonis suis centum et sexaginta libras Turonenses, et nos sexaginta libras Turonenses. In quo facto nos, attendentes et considerantes devotionem ipsius archidiaconi quam erga nostram ecclesiam habuit dictam peccuniam apponendo, concessimus ei et concedimus prædictum manerium cum omnibus pertinentiis suis et appendiciis, quandiu vixerit, pacifice possidendum, ab omni consuetudine et redditu liberum penitus et absolutum. Insuper, concessimus ei et concedimus ut, post mortem suam, habeat et percipiat singulis annis septem libras Turonenses annui redditus de mercede dicti manerii quicumque tenuerit illud. Quæ scilicet septem libræ, secundum quod dictus archidiaconus in nostro capitulo ordinavit, distribuentur singulis annis, die qua celebrabitur anniversarium suum. Itaque, de istis septem libris canonicis et personis præsentibus in obsequio distribuentur quatuor libræ et decem solidi Turonenses, et quinquaginta solidi clericis de choro in obsequio præsentibus. Si autem idem archidiaconus in vita sua dictum manerium in manu capituli resignaverit, ex tunc tenebimur, quamdiu vivet, annis singulis, certa die assignata, pro ipso missam de Sancto Spiritu celebrare: in cujus missæ celebratione dictæ septem libræ distribuentur modo supradicto. Volumus etiam ut ista ordinatio, sicut superius est expressa, esset in libro nostro obituum apposita, et nobis et nostris successoribus præsentibus litteris publicata. In cujus rei testimonium ipsas præsentis litteras

volumus fieri et tradi eidem archidiacono sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragésimo octavo, mense novembris.